



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Prvdentia Et Cæteris In Confessario requisitis ad ritè
fructuoséque Diuini ministerij sui munera obeunda,
Tractatvs**

Regnault, Valère

Lvgdvni, 1611

Reverendissimo Domino, D. Petro Andreae De Leberon, Episcopo, & Comiti
Valentino, & Diensi, Horatius Cardon Bibliopola Lugdunensis S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41341



REVERENDISSIMO
DOMINO, D. PETRO
ANDREÆ DE LEBERON,
Episcopo, & Comiti Valentino, &
Dienfi, Horatius Cardon Biblio-
pola Lugdunensis S.



*Q*UOD Philosophorum maxi-
mus Socrates, Antistes Re-
uerendissime, fecisse dicitur,
vt Philosophiam ante illum
in caelis, & caelestibus rebus
quodammodo vagantem, ad
haec humana & ad mores hominum componendos
necessariam traduxerit, hoc nescio si veriùs de his
Theologis dici possit, qui moralem Theologiam, vel
maximè illustrandam; & casus Conscientiae, vt
vocant, examinandos, dissoluendosque susceperunt,
Sacram nempe philosophiam, altissimis illis myste-
rys, qualia sunt quae de Deo, Trino & vno, & simi-
* libus;

EPISTOLA

libus ; hi explicant Theologi , qui Scholastici nominantur , ad morales istas quaestiones , quas maxime Confessarijs scire conuenit , transferre omni animi contentione voluerunt . Quod si nobiles illi Theologi de Christiana Religione bene meriti sunt , qui omnes ingenij sui vires in his praestantissimis nostra Religionis mysterijs enodandis expendierunt : hi sane non minimam apud homines laudem merentur , qui difficultates istas morales , quae iter ad caelum pandunt , examinare , & ad diuina legis trutinam ponderare omni studio , & ope contendunt . In his ergo quaestionibus moralibus explicandis , & si plurimi aetate nostra Theologi , & iuris utriusque consultissimi plurimum opera , & studij posuerint : Patres tamen Societatis Iesu , hoc quasi proprium pensum nouis subinde operibus reddere , idque ab ipsa quodammodo nascente Societate videntur suscepisse . Vix enim e cunis illa edueta erat , cum R. P. Ioannes Polancus , quo cum B. P. Ignatio Loiola magna intercessit familiaritas , libellum utilissimum , Directorium Confessariorum nuncupatum , conscripsit , quo Societatis illius Confessarij ad suum munus rite , decenterque obeundum instruerentur , simulque poenitentes ad expiandam per Confessionem rite conscientiam dirigerentur . In hoc Scriptorum genere postremo numerari potest P. Valerius Reginaldus , qui in luce Dolanae Academiae hanc

DEDICATORIA.

*hanc Theologiae moralis partem magna cum laude
professus, hoc opus de Prudentia Confessarij cete-
risque virtutibus ad eius officium pie religiosè-
que obeundum necessarijs, magno iudicio, & pietate
conscripsit, nec longè aberit, cum aliud maioris mo-
lis, & ponderis opus, Praxim fori pœnitentialis no-
minatam idem auctor emittet, sed de hoc aliàs.
Nunc verò cum ipse parvus, & auctor ad me suum
hunc partum sine parente fiduciario, cui esset com-
mendatum miserit, ego qui alterius parentis vices
gero, non potui non curam habere, de tali patre
fiduciario providendo, qui pro pietate, & dignitate
sua, hunc communem partum protegeret, & apud
Confessarios sua maximè auctoritate commenda-
ret. Cùmque mentis oculos huc illucque conuertif-
sem, tu Antistes dignissime, maximè idoneus visus
es, qui pro tua benevolentia, & singulari humanita-
te munus hoc suscipere & sustinere facile posses.
Tu enim is es, qui hunc vniuersum Ordinem ma-
gno amore complecteris, magno studio contra reli-
gionis nostrae Catholicae aduersarios protegis, &
maxima tua in Delphinatu toto auctoritate defen-
dis. Tu is es, qui Academiam Turnoniam in tua
Diœcesi florentissimam vnicè foves, complecteris, &
ex ea quasi ex equo quodam Troiano manipulares
copias educis, quae nunc in tuam ciuitatem, nunc in
alias vicinas vrbes, & oppida, huc illucve discur-
rentes*

EPISTOLA DEDIC.

rentes truculentas feras, quæ Dominicum agrum depopulantur, longè arcent, & aliquando prædas quas illa ore laniare, & discerpere cogitabant, auferunt, & auellunt. Tu denique is es, qui alterum tue pastorali curæ gregem commissum, qui in ciuitate tua Dia sedem habet, per huius Societatis verbi diuini ministros aliquot iam annos studeas ad matris Ecclesiæ caulas adducere, & ab erroribus, quibus iam olim imbutus fuerat, abducere. Nec clam te est, quàm in Delphinatu pauci sint hodie sacerdotes, qui Confessariorum munus rectè exercere valeant, qui cum huic operi tuum nomen præfixum legerint, non dubium est, confestim illos ad hoc opus euoluendum conuolatuos, ex quo illi & meliores, & ad opus suum exercendum aptiores euadent. Accipe igitur, Antistes dignissime, & Comes præstantissime, hac officina nostra volumen nouum, quod posteris meum erga te studium, obseruantiam, & reuerentiam Gallis præsertim sacerdotibus & Confessarijs in omnem testabitur aternitatem. Vale.

AD